

Resp. 2^o Neg., si succedat titulo particulari, quia tunc non censetur unicam personam constituere cum antecessore. Idem dicendum est de rebus acquisitis emptione vel alio contractu. — S. Lig. n. 516.

QUAER. 3^o *An mala fides antecessoris noceat successori universali, etiam quoad praescriptionem 50. annorum, id est, si heres bona fide hereditatem adiit, et dein per 50. annos possidet?*

Resp. Neg. probabilius, quia ius civile dicit, omnes obligationes tam reales quam personales posse praescribi per 30. annos. — Ita Gousset, n. 720., et expl. Cod. civ. art. 2236., contra alios qui dicunt, talem heredem non posse praescriptionem prosequi. — Billuart. — Lugo, etc.

QUAER. 4^o *An mala fides antecessoris noceat heredi mediato?*

Resp. Neg. probabilius, quia hic non censetur facere unicam personam cum antecessore. — Ita communiter. — V. Casus, n. 434. et seq.

PUNCTUM IV. — De accessione.

591. — Accessio est modus acquirendi dominium in rem aliquam, propterea quod res illa rei nostrae adiciatur. Accessio autem fieri solet variis modis, scilicet

1^o *Nativitate*, seu quando ex animali nostro aliud nascitur, etsi conceptum de masculo ad alium pertinente. Qui enim habet matrem, ius habet ad omnes eius partus. Hinc axioma: *Partus sequitur ventrem* (29).

causa tradita sit, postea heres eam inter res hereditarias bona fide numeravit, praescribere is nunquam potest, adeo ut post ducentos aut trecentos annos, si possessio nunquam per particularem dispositionem translata est, sed semper hucusque hereditatis nomine transiit, a possessore isto vindicari possit. Ac propterea opposita opinio, in quam infra A. inclinatur post Gousset, neque rationi ulli, neque articulis cod. gallici niti videtur.

Hinc etiam est, quod Lugo (l. c. n. 61.) et Laymann (l. c.) contra alios (quos A. sequitur) censuerint, neque mediatum successorem praescribere eiusmodi rem posse; quia (ut ait Lugo) *ratio supra adducta aequae videtur procedere de successore mediato universali. Creditor enim non agit contra heredem, sed contra defunctum mediatum, qui ex suo delicto et iniuria contraxit obligationem realem satisfaciendi pro iniuria allata,*

et resarciendi omnia damna, quae ex illa iniuria sequentur, sive illa postea bona sive mala fide inferantur ab aliis. Cum ergo heres universalis teneatur ad omnia debita defuncti saltem iuxta hereditatis vires, consequens est, ut etiam heres universalis mediatum ad haec defuncti debita teneatur, non obstante eius bona fide; non enim restituit, quia a se consumpta sunt, sed quia defunctus antecederet se obligavit ad omnia damna subsequenda impedienda et resarcienda.

(29) Nativitas hic latiori sensu accipi debet pro *origine*, ad quam productio seu nativitas refertur tum *realis*, cuiusmodi sunt partus animalium et fructificatio agrorum, tum quae talis censetur fictione iuris, cuiusmodi sunt pensio locationis domorum ac censuum. Regula autem generalis est, ut quicquid nascitur seu producit, per se ad parientis seu producentis dominium pertineat.

2^o *Alluvione*, seu quando vi aquarum incrementum alicui praedio paulatim accedit (30). Non autem alluvione repentina dominium acquiri potest. — *Sic omnia Iura statuunt* (31).

3^o *Adiunctione*, seu quando res duae ad diversos dominos pertinentes ita in unum quid coalescunt, ut separari sine detrimento non possint: tunc totum compositum est illius, cuius materia est in re composita

(30) Hoc duplici modo contingit, quando scilicet vel vi cursus fluminum paulatim alicui praedio delata materia accedit, vel quaequam ripa cursu aquae recedente describitur. Regula est ut incrementum ad eum spectet, cuius est fundus (*).

(*) In iure italico alluvio cedit proprietario fundi secus ripam fluminis aut torrentis, sive haec sint navigabilia, sive non: at si sint navigabilia, tenetur proprietarius viam secus flumen relinquere iuxta speciales ordinationes: art. 453.

Item pars soli relicta ab aqua fluente, quae sensim sine sensu recedit ab uno ad alteram ripam, pertinet ad proprietarium ripae detectae, quin proprietarius oppositae ripae aliquid repetere possit. Hoc tamen ius locum non habet quoad terras, quas mare deserat: art. 454.

Quoad lacus vero et stagna, nullus est locus iuri alluvionis, quemadmodum neque in iure romano; cum latus et stagna, licet crescant et decrescant, terminos suos retineant. Hinc proprietarius lacus vel stagni conservat dominium soli quod aqua operire solet, etsi identidem, hac decrescente, illud ex parte delegatur. Eodem pacto proprietarius lacus vel stagni, non fit dominus locorum, quae, propter extraordinarium incrementum exundentur aquis: articulus 455.

(31) Ius commune romanum (*Instit. §. 22. De rer. Divis.*) sic limitat: *Si vis fluminis de tuo praedio partem aliquam detraxerit, et vicini praedio attulerit, palam est, eam tuam permanere. Plane si longiore tempore fundo vicini tui haeserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices*

egerint, ex eo tempore videntur vicini tui fundo acquisitae esse (seu ut legit Vinnius) *videtur vicini fundo acquisitae esse* (**).

(**) Ex iure italico dominus huius deductae partis potest eam repetere intra annum: quo elapso non admittitur eius petitio praeterquam in hypothesi, quod dominus fundi, cui avulsa pars est adiecta, nondum eius possessionem ceperit art. 456.

Romanum Ius (*Instit. §. 22. De rer. Divis.*) quaestionem quoque de insula, quae in flumine nascatur, sic solvit: *Insula in flumine nata... si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque praedii, quae prope ripam sit. Quod si alteri proximior sit parti, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam praedia possident. Quod si qua parte divisum sit flumen, deinde infra unitum agrum alicuius in formam insulae redegerit, eiusdem permanet is ager, cuius fuerat* (**).

(**) Consentit ius italicum, si insulae efformentur aut nascantur in torrentibus et fluminibus navigationi non idoneis: secus eae ad Statum pertinent, nisi obstet aliquis titulus aut praescriptio: articuli 457. 458. At si insula ideo existat, quod illico vi aquarum pars aliqua telluris abrepta, in medium flumen sit translata, dominus fundi, a quo ea pars terrae recessit, retinet eius dominium: sed si flumen est navigabile, Status ius habet eam redimendi, servato privato domino indemni: art. 459.

praestantior sive magnitudine, sive pretio (32); sed hic alterum indemnem facere debet. — *Sic Ius Romanum et Gallicum.*

4^o *Specificatione*, seu quando ex aliena materia nova corporis species per artem conficitur. Tunc *ex Iure Rom.*, si species ad priorem materiam redire non possit, res pertinet ad artificem, qui tenetur pretium materiae solvere, et damna, si quae sint, compensare. — *Ex Iure autem Gall.* dominus materiae novam speciem repetere potest, laboris pretium solvendo. Si tamen pretium industriae longe superet pretium materiae, artifex retinere potest speciem a se confectam, soluto materiae pretio. Si artifex mala fide egerit, damna domino rei illata reparare tenetur (**).

5^o *Commixtione*, seu *confusione* duarum rerum aequae principalium ad diversos pertinentium dominos. Tunc si res mixtae possint dignosci et separari, separentur (33); si vero non possint dignosci, res communis erit, et dividenda pro rata quantitatis propriae singulorum. Attamen dominus materiae praestantioris totum cumulum servare potest, facta debita compensatione; si autem res mixtae sint circiter aequales, compositum pertinet ad utrumque dominum in communi, et vel cumulus vendi, ut pretium dividatur, vel dividi pro rata potest (***)).

(32) Alii clarius: totum est illius, cuius res se habet ut *principale*, altera vero adiecta se habet ut *accessorium*, nempe iuxta essatum illud: *Accessorium sequitur principale*. Haud facile tamen subinde est definire, quidnam principale, quid accessorium censi debeat, v. gr. si pinxeris in tabula aliena, aut si in aliena charta scripseris (').

(') Ita et ius italicum art. 464. in quo tamen haec notantur. Partem principalem censi eam, cui alia coniuncta fuit tantum ad usum, ornatum, aut complementum.

Si tamen res unita multo est pretiosior principali atque adhibita fuit citra consensum domini, huic optio datur aut retinendi sibi totum, soluto pretio rei principalis domino, aut postulandi separationem rei unitae, etsi alia pars detrimentum sit passura. Si vero ex duabus rebus unitis neutra possit alterius reputari accessoria, censenda est principalis ea, cuius valor est notabiliter maior, aut, si valor plus minus sit par, cuius volumen est ingentius.

(*) Ex iure italico si artifex aut quis alius usus sit materia non sua ad novam rei speciem constituendam, sive res possit in suam pristinam redire formam sive secus, proprietarius eius ius habet in rem quae facta est, soluto artificis aut alteri pretio laboris: art. 468.

Si ex duplici materia partim sua partim aliena quis novam speciem ita effinxerit, ita ut neutra quidem sit penitus transformata, at sine detrimento nequeant separari, res manet communis utrique domino ratione habita tum materiae operis seu laboris: art. 469.

Attamen si opus nimis materiam superaret, tunc opus censetur pars principalis et artifex ius habet rem sibi retinendi, soluto pretio materiae domino: art. 470.

(33) Quando facile distingui res cuiusque possunt, quaestio non huc spectat, ubi de dominio acquirendo per rerum *mixtionem* seu *confusionem* disputamus.

(***) Si quando res ex commixtione diversarum rerum quae ad plures dominos spectant, constituta est, si res singulae

592. — 6^o *Aedificatione*, seu quando construitur aedificium ex aliena materia in proprio fundo, vel ex propria materia in fundo alieno, vel ex aliena materia in fundo alieno. Generatim dominium fundi secum trahit quidquid est supra vel infra positum. Aedificium igitur est illius, cuius est solum, praestita debita compensatione. Idem fere dicendum de plantatione et satione. Hinc vulgares versus:

Quidquid plantatur, seritur, vel inaedificatur,
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Quoad indemnitate vero haec statuuntur: 1^o Qui in suo fundo aedificavit, plantavit, vel alia opera fecit ex materia aliena, debet *ex Iure Rom.* solvere duplum pretii materiae (34); *ex Iure vero Gallico*, art. 554. pretium materiae tantum solvere, et damna, si quae sint, reparare debet (*). — 2^o Qui ex sua materia in fundo alieno aedificavit, plantavit, etc., *ex Iur. Rom.* pretium materiae repetere potest, si ex bona fide egerit (35), secus si ex fide mala; *ex Iur. vero Gall.* pretium materiae pariter repetere potest, si dominus fundi opera servare velit; secus vero hic cogere potest alterum ad opera propriis expensis tollenda, nisi de eius bona fide iuridice constet (**). V. *Casus*, n. 547. et seq.

possint absque damno separari, ille qui in commixtionem haud consensit, ius habet obtinendae separationis.

At si nequeat separatio fieri aut non nisi cum damno, proprietarius rei evadit communis iuxta proportionem valoris partium ad singulos dominos pertinentium: art. 471.

Nihilominus si materia ad aliquem spectans, censi posset principalis aut valor eius excederet valde valorem alterius nec separari possent aut non nisi cum detrimento: dominus rei principalis ius habet ad proprietatem totius soluto alteri pretio suae materiae: art. 472.

Tandem quoties dominus materia adhibita absque suo consensu, potest rem suam sibi vindicare, potest loco huius petere tantumdem materiae quae sit eiusdem qualitatis et valoris ac prior: art. 474.

(34) Insuper si mala fide materiam alienam aedificio iunxit, non solum dupli pretii multatur, sed materiam forte aedificio exemplam dominus vindicare sibi potest, vel etiam, si iuncta illa manet, datur do-

mino actio ad vindicandam materiae aestimationem; adeo ut alter praeter duplum solvere rursus etiam pretium materiae debeat.

(*) Ex iure italico tenetur resarcire damna si mala fide aut culpa gravi id egit: dominus vero materiae eam repetere potest in ea tantum hypothese quod id absque operis destructione fieri possit: art. 449.

(35) Intellige si bonae fidei accedat etiam extracti aedificii possessio, et insuper si fundus domino factus sit pretiosior (*L. 38. ff. Dei vindicat.*). Nam si aedificator non est in possessione, nulla actio ipsi iure suppetit, quae materiae pretium et impensas consequatur; atque unicum illi superest subsidium, ut, si quidem fundi dominus factus sit locupletior, aequitatis obtentu actio illi per officium iudicis ultro detur.

(**) Ita quoque ex iure italico (ubi tamen de mala vel bona fide sermo non fit); sed dominus fundi, qui velit res servare, tenetur solvere pro suo arbitrio al-

ARTICULUS II. — DE USU ET USUFRUCTU.

Usus est ius utendi re aliena, salva eius substantia. Usufructus est ius utendi simul et percipiendi fructum e rebus alienis, salva pariter earum substantia.

593. **Principia.** — I. *Usufructuarius* plenum usum ac fructum rei alienae habet, ita ut omnes fructus rei suos faciat, et de ipsis pro nutu suo disponere possit, sive per se sive per alium. Ratio est, quia usufructuarius personam proprietarii quoad dominium utile agere censetur. — Sic *Iure Romano et Iure Gallico.*

II. *Usufructuario* incumbit onus tum custodiam praestandi, tum expensas, si modicae sint, subeundi, ut res in integro suo statu conservetur, tum etiam faciendi sumptus, ut naturales fructus ex ea percipiat. Tenetur etiam ad solvenda onera ordinaria, quibus gravatur res usufructuaria, qualia sunt salaria, tributa annua et similia.

III. *Usufructuarius* uti debet re aliena tanquam bonus paterfamilias, eamque talem reddere, qualis reperiri debet post bonam administrationem. Proprietarius autem nihil facere potest, quo deterior fiat conditio usufructuarii, quia *patitur frui.* — *Ita varia iura.*

594. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quomodo acquiratur usufructus?*

Resp. Acquiritur 1^o ex lege, et tunc dicitur *legalis*: talis est usufructus parentum ex bonis filiorum, vel mariti ex bonis uxoris; 2^o ex conventionem vel contractu, et ideo *conventionalis* nuncupatur.

QUAER. 2^o *Quomodo cesset usufructus?*

Resp. Cessat 1^o morte naturali aut civili usufructuarii; 2^o tempore statuto; 3^o interitu totius rei; 4^o consolidatione, v. gr. si usufructuarius fiat dominus rei; 5^o omnimoda mutatione, v. gr. si pratum fiat stagnum; 6^o abusu, quo per usufructuarii culpam res deterior fiat; 7^o renuntiatione usufructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum (36).

tertrum, vel pretium materiae et operarum vel augmentum valoris, quod accessit fundo. Si autem dominus fundi vult constructiones deleri, id fiet expensis aedificatoris absque ulla sua indemnitate, qui et cogi insuper poterit resarcire damna fundi domino forte illata: art. 450.

Adde tertium casum, si quis ex aliena materia in alieno fundo aedificavit, dominus materiae ex iure romano non potest sibi vindicare illam, quae in soli dominium transiit: at servandum eum esse indemnem, evidens est. Ex iure italico,

dominus materiae nequit sibi eam vindicare, sed potest exigere indemnitate ab eo, qui illa est usus, etiam a proprietario soli, sed tantum ex pretio, quod hic forte adhuc debeat: art. 451.

Adverte, in iure italico leges indiscriminatim loqui de aedificatione et plantatione eademque pro utraque statuere.

(36) Haec eadem valent quoad meri *usus* acquisitionem vel cessationem. Nam ut habet (L. 3. §. 3. ff. *De usufructu et quemadmodum, etc.*) quibus *modis usufructus et constitit et finitur, iisdem*

595. **Resolves.** — 1^o Sub usum et usufructum non veniunt res unico actu consumptibiles, ut vinum, oleum, panis, etc., quia per talem usum non manet salva rei substantia (37).

2^o Usufructuarius facultatem habet percipiendi quidquid in fundo nascitur, segetes scilicet, foenum, fructus arborum, etc.; ad ipsum quoque pertinet proventus piscationis, foetus animalium, eorum lana, lac, etc. Item potest in silvis certam lignorum portionem caedere, quam nempe paterfamilias caedere solet.

3^o Potest usufructuarius ius suum titulo venditionis, locationis vel donationis alteri cedere. Id ipsum autem dici nequit de usuario; qui tamen, si ius habeat domo aliqua utendi, in illa cum familia sua habitare poterit, etiamsi tempore, quo usum acquisivit, coniugatus non fuerit.

4^o Fructus naturales et industriales initio pendentes percipit usufructuarius sine onere solvendi pro cultura, vel semine, etc. Et reciproce, si discedat ante maturitatem fructuum, nihil reclamare potest. Fructus vero civiles de die in diem acquiruntur, ac proinde dividi debent pro rata temporis, quo usufructus duravit (**).

modis etiam nudus usus solet et constitui et finiri. Ita et ius Gallicum art. 625. et italicum art. 529.

(37) Usufructus haberi potest, quatenus res eiusmodi absumere quis potest, et deinde aestimationem earum reddere (*).

(*) Ita sane in iure romano l. 1. et 2. ff. *De usufructu earum rerum quae usu consumuntur* atque ita ius Gallicum art. 587. et ius italicum art. 483.

(**) Cum his cohaerent statuta a iure Italico. Quod spectat ad usum; qui habet usum fundi, nequit fructus colligere, nisi quatenus opus est subveniendis necessitatibus suis suaeque familiae: art. 521. qui ius habet habitationis in aliqua domo, potest ibi habitare cum sua familia qua et filii comprehenduntur nati post caeptum usum: 522. Iura usus et habitationis nequeunt aliis concedi aut locari 528.

Quoad usufructum nota, solvenda esse ab usufructuario tributa, canones et alia onera, quae, secundum consuetudinem, propter fructus debentur. Quae vero proprietati imposita sunt, proprietarius solvere debet: sed usufructuarius pecuniae expensae interesse retribuere ei tenetur: articuli 506. 507.

Usufructuarius tenetur ad refectiones ordinarias, non ad extraordinarias, nisi his causam dederit negligentia circa priores. Porro extraordinariae censentur refectiones parietum principalium, camerarum seu fornicum, substitutio tignorum, restitutio integra aut ex parte notabili tecti, solarii, aggeris, aquaeductus, muri fulcientis aut eicgentis. Ceterae sunt ordinariae.

Usufructus concessus alicui, usque dum tertia persona certam attigerit aetatem, durat usque ad illud tempus, etiamsi ea persona praemortua sit: art. 517. ita et ius romanum l. 12. c. *De Usufructu.*

Usufructus extinguitur non usu, si hic duret annos 30: art. 515. Fructus naturales, qui, ineunte usufructu, nondum sunt a se fructifera separati, spectant ad usufructuarius: illi pariter, qui, cessante usufructu, nondum sunt separati, ad proprietarium, absque compensatione ex utraque parte pro labore et seminibus: art. 480. : fructus autem civiles acquiruntur de die in diem et ideo pro rata temporis usufructus, spectant ad usufructuarius art. 481. Ita et C. G. artt. 585. 586.

ARTICULUS III. — DE SERVITUTE.

596. — DEFINITIO. Servitus, *passive* sumpta, est onus rei impositum in utilitatem alterius. — *Active* autem sumpta, est ius quod quis habet in re alterius, ut sibi (38) vel rei suae serviat.

DIVISIO. 1^o Servitus *ratione originis* est vel *naturalis*, vel *legalis*, vel *conventionalis*, prout vel ex dispositione locorum, vel ex lege, vel ex mera conventionione oritur.

2^o *Ratione obiecti*, est *urbana* vel *rustica*, prout instituitur in utilitatem praedii urbani vel rustici.

3^o *Ratione modi*, est *continua* vel *non continua*, prout durare potest absque hominis facto, ut est servitus aquaeductus, aut sine eo exerceri nequit, v. gr. servitus itineris. Iterum est *apparens* vel *non apparens*, prout exteriori signo aperte declaratur, v. gr. ianua, fenestra, etc., aut tali signo caret, ut est v. gr. prohibitio aedificandi in quopiam loco, etc.

597. Quaesita. — QUAER. 1^o *Quaenam sint iura et obligationes servitutum?*

Resp. Generatim loquendo ea pendent a natura rei, seu a lege, vel a conventionione; haec autem praecipue statuuntur. 1^o Is, qui *active* ius habet ad servitutum, omnia opera perficere potest, quae necessaria sunt ad ea utendum, atque ad illam conservandam. 2^o Si dividatur fundus, ad cuius utilitatem constituta est servitus, haec cuique parti istius fundi debetur. 3^o Dominus praedii servientis nihil agere potest, ex quo servitutus usus minui possit, et vicissim is, cui debetur servitus, nihil facere potest, unde conditio praedii servientis gravior fiat. Ita fert naturalis aequitas, cui etiam iura consonant.

(38) Hac vocula *sibi* forte A. subindicat latiore ambitum, ad quem *servitutus* nomen penes DD. sese protendit. Nam servitutus nomen accipiunt *passive* quidem pro obligatione, qua res seu *persona* ita devincitur alteri, ut ipsi quodam modo serviat: *active* autem pro iure, quod insit cuipiam, ut alterius res aut *alia persona* sibi serviat.

Hinc vero distinctio, de qua nihil A., iuxta quam servitus esse potest 1^o *personalis*, quae a persona personae debetur, et propria est mancipii erga dominum; 2^o *mixta*, quae a re debetur personae, cuiusmodi sunt usus, usufructus, habitatio;

3^o *realis*, quae rei a re debetur, et defini solet *passive* quidem onus praedio in utilitatem alterius praedii impositum; *active* autem ius praedio inhaerens, ut alterum sibi deserviat. Et de hac postrema tantum cum Auctor, tum alii hoc loco agere solent. Hae servitutes sine praediis consistere non possunt. Nemo enim potest servitutum acquirere urbani vel rustici praedii, nisi qui habet praedium nec quisquam debere (servitutum), nisi qui praedium habet. « *Instit.* l. 2. tit. 3. §. 3. Praedium ergo praedio servit: ideoque vendito praedio, cum eo ius vel debitum servitutus transit.

QUAER. 2^o *Quomodo extinguantur servitutes?*

Resp. 1^o Elapso statuto tempore, vel impleta conditione; 2^o renuntiatione expressa vel tacita; 3^o consolidatione, qua dominus praedii dominantis fiat simul dominus servientis, aut vice versa; 4^o praescriptione, seu non usu iuris servitutus saltem per 30. annos. Imo cum servitutes habeant rationem immobilium, praescribi possunt per spatium temporis, quod in his praescribendis servatur (*).

598. Resolves. — 1^o Si agatur de servitutibus naturalibus, seu de servitutibus, quae ex naturali locorum dispositione sequuntur, non potest dominus praedii inferioris aggerem struere, ut aquae praedii superioris non amplius per fundum suum defluant; sicut nec dominus praedii superioris quidquam facere valet, ut aquarum fluxus insolite augeatur.

2^o Ad acquirendum praescriptione ius servitutus, v. gr. ius viae, aquaeductus, etc..., per alienum fundum, debet praescribens exercere actus positivos, quibus tale ius acquirat, et simul bonam fidem habere, qua credat, ius illud ad se pertinere. Nec sufficit scientia et tolerantia illius, contra quem praescribitur, si titulum non habeat. Si vero titulum habeat, huiusmodi scientia ac tolerantia non requiritur (**).

3^o Qui agros possident ad ripas fluminum navigabilium, obstare non possunt, quominus aperiatur via necessaria ad navigiorum cursum. Idem dicendum de iis, quorum praedia viis aut aliis publicis operibus adiacent: ii enim tenentur ad servitutum patiendam, quamdiu necessaria est ad praedictorum operum confectionem vel reparationem. At in utroque casu proprietarii laesi ius habent ad indemnitate quamdam, si fieri possit.

4^o Dominus praedii servientis non potest mutare positionem, v. gr. viae, aquarum, rivuli, nisi servitus gravior evaserit, aut impediat, quominus reparationes praedio utiles fiant (39).

(*) Iure italico servitus cessat, cum res in eam devenit conditionem, ut usui esse nequeat. Si tamen rursus restituitur et usui esse potest, servitus reviviscit, dummodo nondum sit elapsum tempus idoneum praescribendae servituti: artt. 662. 663. Porro per non usum 30. annorum servitus praescribitur: art. 666.

(**) In iure italico servitutes continuuae (quae factum hominis non postulant) et apparentes (quae signo visibili patent, ut fenestra, aquaeductus, art. 618.) consti-

tuuntur aut vi tituli aut praescriptionis 30. annorum aut destinationis patrisfamilias. Servitutes continuuae non apparentes (ut servitus non attollendi l. c.) et servitutes non continuuae, sive apparentes sive secus, nequeunt statui nisi mediante titulo. Possessio, licet immemorialis, non sufficit ad eas constituendas: artt. 629. 630.

(39) De servitutibus plurima habent moderni codices, quae non vacat referre, sed data occasione a iurisperitis sunt quaerenda.